



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

46. An Religiosus peccet contra paupertatem sumendo aliquam rem de loco publico pro usu temporali, ut deinde in eundem locum restituat? Ex p.  
1. t. 6. r. 40.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

§. 1. **A**D istud dubiū respondet Ledesma in addit. ad sum. tom. 2. c. 4. dub. 12. fol. mibi 119. ita asserens, [ *En razon de propiedad ajunta al hurto, podrá muy bien el Prelado reservar el pecado de propiedad, que esta junto al hurto: porque assi determina al Papa en el Breve, que pueda el Prelado reservar el pecado de propiedad, contra el voto de la pobreza en materia grave, sino es que el Pontifice en nombre de pecado de propiedad contra el voto de la pobreza, entienda el gastar, ó dar sin licentia del Prelado, y como señor, lo que seria fuera de proposito: segun esto, no podria el Prelado reservar todo hurto a un, en razon de propiedad. Porque entonces hauemos de dezir, que se distinguen, y diferencian estas dos maneras de pecados. ] Ita Ledesma. In quibus vltimis verbis videtur admittere, tanquam opinionem probabilem, non posse referuare tale furtum particulare, etiam quatenus est peccatum proprietatis: quia in Decreto Clem. VII. sub nomine proprietatis intelligitur tantum largitio alicuius rei magni valoris, quam faceret Religiosus, tanquam dominus, & sine licentia Superioris. Hæc secundum mentem supra dicti Authoris.*

Sup. hoc in Ref. practica §. vlt. ad lin. 4.

## RESOL. XLIV.

*An Religiosus, qui sine licentia Prælati solet sumere aliqua bona Monasterij pertinentia ad cibum, & potum infringat votum paupertatis?* Ex. p. 1. tr. 6. Ref. 30.

Sup. hoc in Ref. seq. Sed ne deseras legere Ref. & §. eius secundæ not.

§. 1. **H**ic casus tractatur à Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. c. 19. num. 53 sed magis benigne resoluitur à Suarez de Relig. tom. 3. lib. 8. c. 11. num. 41. vbi sic asserit: [ *De bonis Monasterij vsu consumptibilibus, pertinentibus, scilicet, ad cibum, & potum, si tantum ad proprium vsum actualement, vt sic dicam, & transitorium à Religiosis aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale; nisi damnificatio Religionis esset nimia, & in re extraordinaria; & pretiosiore: extra huiusmodi enim casum res huiusmodi reputantur leuioris conditionis. Et quamuis Prælati hoc duplicet, non tamen ita sunt inuoluntarij, vt illam reputent materiam grauem in ordine ad paupertatem: sed solum in ordine ad decentiam, & professionem Religionis. Accedit, quod Religiosi, quoad vsum huiusmodi rerum, tractantur vt filij: inter parentem autem, & filium non censetur similis actio grauis: secus vero esset, si huiusmodi res in magna quantitate acciperentur, & occultè retentæ, paulatim consumerentur: nam illud esse posset graue peccatum, quamuis ad id discernendum in particulari magna prudentia necessaria sit. ] Ita Suarez. Vide etiam Tannerum in 2. 2. disp. 7. quest. 3. dub. 4. num. 106. vbi sic ait: [ *Nulla etiam Prælati seueritas, eiusmodi acceptiones, quoad substantiam rei acceptæ, iniquas reddere potest, ] Sic ille.**

## RESOL. XLV.

*An Religiosus, si ad proprium vsum accipiat paulatim comestibilia, si perueniant ad quantitatem notabilem, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem?* Ex part. 1. tr. 6. Ref. 35.

Supra in Ref. quæ hic est antecæpens. Quæ hic est supra Ref.

§. 1. **D**E hac re egi supra, & nunc iterum respondeo negatiuè: nam existimo, furta ista minima in tali materia non continuari, vt dictum est in superiori Refol. de famulis, & ancillis. Et ita in terminis docet Bonacina tract. de largit. nu-

ner. disp. 1. punct. 5. num. 7. Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. c. 21. num. 31. Fernandez in exam. theol. mor. punct. 1. c. 6. §. 2. num. 12. in fin. & Gratianus in decis. punct. 1. lib. 3. c. 5. num. 51. Tannerus in 2. 2. disp. 6. quest. 3. dub. 4. num. 106. licet Religiosus animus accipiendi paulatim hæc minima ad proprium vsum haberet: quamuis in hoc Gratianus contrarium sentiat. Sed tu tene cum Sanchez. Ratio est: quia in eo modo sic paulatim hæc accipiendi non est inuitus Superior.

## RESOL. XLVI.

*An Religiosus peccet contra Paupertatem sumendo aliquam rem de loco publico pro vsu temporali, vt deinde in eundem locum restituat?* Ex p. 1. tr. 6. Ref. 40.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Azorius in 1. lib. 12. c. 12. quest. 3. vbi sic ad præfatum dubium respondit: [ *Non mihi videtur esse paupertatem violasse, nisi id aliquo fuerit aliunde prohibuit; non enim, ed quod accipit, vt vult, citra omnem profusum sui Superioris voluntatem; sed ad certos tantum dies, animo, & voluntate illud in eundem locum vnde acceptat, referendi. ] Sic ille. Et nouissimè Villalobos in sum. tom. 2. tract. 3. dub. 29. num. 8. & Fabrus de restit. in 4. sent. disp. 15. quest. 2. disp. 45. cap. 5. num. 114.*

Sed notandum est, hanc sententiam impugnare Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 57. & post illum Faustus in thes. Relig. lib. 8. quest. 106. n. 2. Sed vtraque opinio est probabilis.

## RESOL. XLVII.

*An donatio remuneratoria sit prohibita in hac Bulla ita vt Religiosus, seu Monialis largiendo aliquam donum in remuneracionem contraueniat huic Constitutioni?*  
*Et explanatur, quod donatio inter virum & uxorem est prohibita, & non valet, etiam si sit remuneratoria.* Ex p. 1. tr. 6. Ref. 15.

§. 1. **P**ro parte affirmatiua non desunt rationes: quia Summus Pontifex in hac Bulla prohibet Religiosis largiri dona, ex quacunque causa. Deinde, Pontifex prohibet donationes indirectas; ergo prohibet donationes remuneratorias, quæ sunt donationes indirectæ. Nam, si non prohiberet hæc donationes, minime prouideret de sufficienti remedio in ordine ad bonum commune Monasteriorum, quod quidem prouidere intendebat; quia sub titulo remuneracionis, Prælati, & Religiosi facile bona monasterij, largiendo, notabiliter distraherent: ergo, &c. Secundò probatur hæc sententia: nam donatio inter virum, & uxorem est prohibita, vt patet ex cap. finali, de donat. inter virum, & uxorem. Bartol. in l. quod meo, & ibi Alexander ff. de acquir. possiff. Anton. Gamma tom. 2. variarum resolut. c. 4. num. 23. & stante hac prohibitione non valet inter ipsos coniuges donatio remuneratoria. Ita Pinellus de fin. bonis matern. lib. 1. part. 3. num. 61. & 62. Mart. in l. i. tienzo lib. 5. Recopil. tit. 9. l. 3. glos. 6. num. 3. cum aliis.

2. Sed contrariam sententiam profus amplectendam esse iudico. Dico igitur, quod, quando prohibetur donare simpliciter, vel sub conditione, vel sub modo, eo ipso nõ prohibetur donare ob merita quæ præcellerunt